

MONASTERIENSIS EPISCOPATVS.

peregrinis Anabaptistis, oppidani, quippe in re lauta erant, subduxerunt sese ei, quam prævidebant, tempestati. Hæc facta sub initium anni M D XXXIV. Debilitatis autem alterius partis vi- ribus, deligunt Anabaptistæ Senatum suæ fa- ctionis: creant Consules, & in his Knipperdolin- gum: templum suburbanum Mauritiū incendunt: urbem spoliant: eos, qui siue sectæ non erant, ex- pellunt, bonaque ipsorum occupant. Quum au- tem Episcopus jam urbem cœpisset obsidione cingere, evenit multis qui urbem deferebant, ut ab Episcopi copiis cæderentur. Ita coacti etiam sunt in urbe quidam furoribus Anabaptisticis applaudere. Quæ in urbe à fanaticis tempore obsidionis gesta sunt, longum esset narrare, estq; res in omnium ore atque oculis. Nihil fuit in- dignius, quam quod sceleribus flagitiisque suis profani homines divinum quoque nomen & re- ligionem obtenderent. Semel meliorem par- tem cœpit impetus vindicandi sui, & furiosum bacchantium gregem opprimendi, sed captis quinquaginta, & post multa tormenta occisis, desperatum est postea. Hoc tempore adsumpsit sibi Ioannes Leidensis titulum Regis, & se pro

Rege, ut potuit, gessit, uxore etiam primaria (nam plures habebat) Reginæ nomine habitu- que ornata, quam tamen postea, quod minus probasse ipsius actiones viua esset, ipse obtrun- cavit. Tandem post multas calamitates atque insanias anno M D XXXV, die 27 Iunii, noctu sub horam undecimam copiæ Episcopi, cui se jun- xerant Coloniensis Præsul Hermannus, & Dux Clivensis, cum Lantgravio Hassia, silentio ad urbem accedunt, & ducente quodam persuga per fossam ad vallum enituntur. Inde patefactis portis admissoque exercitu capiunt urbem. Rex vinclitus cum sociis ad vicinos Principes circum- ducitur, ac tandem anno M D XXXVI canden- tibus forcipibus discerpitur. Hic exitus fuit fa- ctionis Monasteriensis.

Anno M D C XII, 11 Aprilis, publico om- nium bonorum gaudio, solennibus & consuetis ceremoniis huc introductus est Ferdinandus, Dux utriusque Bavariæ, Archiepiscopus & Elec- tor Colonensis, Episcopus Leodiensis, Coad- jutor Paderbornensis, Administrator Hilde- heimensis.

